



N<sup>o</sup>. 16.

13.

DISSSERTATIONVM  
DE  
**HAERESIOLOGIA**  
SECVLI POST CHRISTVM NATVM PRIMI  
ET SECUNDI,  
EX IPSIS ANTIQVITATIS FONTIBVS DELINEATA,  
**OGDOAS:**  
ET IN EA  
**PRIMA**  
DE  
**HAERESIVM**  
PRAEDICTI<sup>O</sup>N<sup>E</sup> BIBLICA ET IN-  
FELICI EARVM PROVENTV IN PLERISQUE  
ECCLESIS, IN PRIMIS  
ASIAE:  
QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
DIE SEPT. HVIVS ANNI MDCCXXIV.  
PRAESIDE  
**D. IOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIT,  
EIQUE  
OBSERVATIONES ALIQVOT ELENCTICAS,  
Disputatori cuidam Wittenbergensi oppositas,  
subiungit,  
RESPONDENS,  
**FRIDERICVS THEOPHILVS CASSCORB,**  
TREPT OA POMERANVS,  
S. THEOL. CVLTOR.

---

HALAE MAGDEB. RYDIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.

O.





VIRO

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO,

DOMINO

ERNESTO BOGISLAO  
DE KAMCKE,

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI RE-  
GIS PRVSSORVM MINISTRO STATVS IN-  
TIMO,

AQVILAE NIGRAE ORDINIS EQVITI, CA-  
PITANEO PRAEFECTVRAE TREPTO-  
VIENSIS,

TOPARCHAE IN HOHENFELDE, CORDESCHA-  
GEN ET STRIPPO, RELIQUA.

*Domino meo gratosissimo.*

VIR

PERILLVSTRIS ATQVE EXCEL-  
LENTISSIME,

DOMINE GRATIOSISSIME;



On auderem, Excellentiae  
Tuz, Vir Perillustris, hancce,  
quam publice ventilandam suscepit,  
& defendendo meam feci, Dissertationem,  
inscribere, nisi vel solum  
Tuum Illustrum Nomen, quod us-  
que adhuc omnibus bonarum artium alumnis dulce  
fuit

suit præsidium, atque immortale decus, fiden-  
tiorem me fecisset, fore, vt & hoc qualemque  
submissæ mentis documentum non dedigneris.  
Cum enim literarum cultores, quotquot Tuæ  
se commisere tutelæ, nunquam non serena at-  
que gratiofa excepéris fronte, nec minus pro ea,  
qua polles, auctoritate fautor ipsis promotorque  
studiorum extiteris; ego quoque, qui nemini de-  
uotæ mentis cultu erga Excellentiam Tuam ce-  
dam, hanc mihi gratiam polliceor. Accedit in-  
signis illa atque inusitata benignitas, qua Excel-  
lentia Tua parentem meum, immerentem licet,  
dignata est, & quæ sola meretur, vt grata iuxta  
ac pia recolatur memoria. Et hæc sunt, quæ  
me impulerunt, vt per Illustrè Tuum Musisque  
faustum Nomen huic dissertationi præmitterem.  
Id quod, vt Excellentia Tua, pro ea, quæ Gen-  
ti Tuæ nativa est, humanitate, non ægre ferat,  
enixe ac demisse rogo. Deinde vero omnino  
par est, vt, qui aliquando in patria officio, seu ec-  
clesiastico, seu seculari, præfici cupimus, Excel-  
lentiæ Tuæ, vtpote quæ laudabilem eius curam  
gerit, specimine quodam academico, ea qua de-  
cet submissione demonstremus, qua ratione vita  
hæc litteraria sit peracta. Sic enim constabit,  
quid de ea posthac sperandum sit, suminis, quos  
coli-

colimus, patronis, & inter eos **TIBI** præcipue,  
Per-Illustris Domine **Do** cetero Deum pre-  
cor, vt Excellentiam Tuam, splendidissimam  
que Familiam, saluam, incolumem, ac perennem  
esse iubeat!

**VIR**  
**PERILLVSTRIS ATQVE EXCEL-**  
**LENTISSIME,**  
**DOMINE GRATIOSISSIME,**

**EXCELLENTIAE TVAE**

Hale Saxonum die XI. Sept.  
MDCC XXIV.

**DEVOTISSIMVS CLIENS**  
**FRIDERICVS THEOPHILVS CASSCORB.**



# LECTORI BENEVOLO

S. D. P.

## PRAESES.



B vno alteroue ex auditoribus meis carissimis rogatus , vt ipsis subministrata materia campum aperirem publicæ disputationis , qua , tanquam idoneo specimine , parentibus suis suam vitæ academicæ diligentiam probare possent ; eam elegi , quam iam tum olim elaboratam in promtu habui . Cum enim post scripta aliquot , quæ nouo & noxio admodum philosophiæ systemati opponenda fuerunt , horis subcesiuis iam totus sim in ea *Causæ DEI* parte concinnanda , quæ religionis reuelatæ veritatem

A 2 tatem

PRAEFATIO.

4  
tatem aduersus sic dictos *naturalistas* adstruit & communitam exhibit: nolui hunc laborem interiecto alio interrumpere; in primis cum auditorio meo, seu prælectionibus academicis, is destinatus sit. Ne vero modo dicto auditorum desiderio deessem, materia eligenda fuit iam elaborata. Et hanc mihi exhibuit manuscriptus ille systematis historici apparatus, quem de rebus ecclesiæ christianæ, in primis in priora eius secula, iam ante annos complures ex ipsius antiquitatis ecclesiasticae fontibus non exiguo cum labore studioque conquisiui ac digessi, & cuius iam aliquam epitomen publice exhibui in *compendio* isto, quod ante biennium prodiit. Et ad argumentum hoc historicum in disputacionibus publicis tractandum eo nunc accedo lumbentius, quo magis dubito, per alios, quos, si vivero, in destinatis habeo, labores litterarios fieri posse, ut istud historiæ ecclesiasticae N.T. systema, qua cœptum est, vberitate, per singula secula perficiatur. Si vero confici poterit, hunc diuulgandi modum, qui, ad *secula duo priora* adstrictus, carptim sit in dissertationibus ad disputandum propositis, scopo isti adeo non deprehendo repugnare, ut eum potius promouere possit.

Cum

## PRAEFATIO.

5

Cum autem adhuc incertus sim, an singula historiæ istorum temporum capita per modum dissertationum posthac sint proditura, deferto, quem in MSCto meo habent, ordine, istud primum elegi, quod hæresiologiam seculi primi & secundi exhibet. Nemo quidem nescit, præter scriptores illos, qui integrum, idque copiosius, historiæ syntagma ediderunt, præcipue celeberrimi nominis Theologum Lipsiensem, THOMAM ITTIGIVM, in hac materia ex instituto elaborasse, & hunc ipsum eius labore non sine multa approbatione fuisse exceptum. Ipse etiam in eo admiror insignem polyhistoriam, seu eruditionem historicam, per autores veteres ac recentiores operose diffusam; vt pote quæ tanta est, qua ampliorem vix dedit aliis. Quandoquidem vero non omnis historici & critici apparatus copia etiam debita se <sup>cognoscere</sup> commendat, dissimulare nequeo, esse, quæ in Ittigiano opere, cum ipsis fontibus curatius collato, ac ad eos dijudicato, desiderem; quemadmodum nec in Arnoldiano omnia probare possum. Quo autem iure ac fundamento, illis dijudicandum relinquo, qui hæc meletemata mea ita cum ipsis voluerint ac potuerint conferre, ut singula sine ullo partium studio, & sine anticipatarum o-

A 3

pinio-

pinionum præjudicio, ad ipsos fontes non impe-  
rite exigant.

Ad tractandi ordinem quod attinet, eum in  
seculo primo eo deprehendi faciliorum, quo pres-  
sius ipsos scriptores sacros, seu <sup>Geor. vel 1526,</sup> lequi  
potui, iis, quæ scriptores ecclesiastici de istorum  
temporum hæresibus tradunt, ad vberiorem illus-  
trationem cum iisdem collatis. At in seculi se-  
cundi hæresiologia auctores isti, in primis EPI-  
PHANIVS, & qui eum fecuti sunt, aut eo accu-  
ratiiores non sunt, syluam nobis exhibent fere in-  
uiam, certe non sine multo tædio peruiam & laby-  
rintho non dissimilem. Cum vero IRENÆVS  
& TERTVLLIANVS hic præ reliquis hæresio-  
logis præcipue sint legendi, istisque multo sint  
accuratiiores, & <sup>admonitivæ</sup> suam lectoribus probent;  
eos hic in primis fecutus primum ago de *Gno-*  
*sticis*, præcipue *Valentinianis* illis ab I-  
RENÆO maxime descriptis, nec non de reli-  
qua istorum collauie: deinde ad ductum TER-  
TVLLIANI de *Marcione*, *Praxea* &  
*Hermogene*, eorumque testatoribus; iis,  
quæ ad ecclesiæ *schismata* pertinent, hæ-  
resiologiæ subiunctis. Et

Et cum in hæresibus magnum sit ecclesiæ malum, idque internum, in oculos haud incurrens; quemadmodum in christianorum diuexatione varia malum externum est: vniuersæ tractationi seculo primo præmisæ aliquam ideam de bono ecclesiæ interno, in doctrinæ coelestis thesauro & veri christianismi praxi posito. Reliquum tractandi ordinem exhibet sequens ipsarum octo dissertationum series:

### Hærefiologia seculi primi.

- I. de hæresum predictione biblica & infelici earum prouentu in plerisque ecclesiis, imprimis Asiae: ubi præmittuntur prolegomena de bono ecclesiæ interno: nec non definitio hæreses cum uno alteroque axiomate.
- II. de iis doctrinæ capitibus præcipuis, quæ per hæreses, in scriptis Apostolicis memoratas, depravata sunt, & ad quæ hæreses seculi primi possunt referri. Vbi accedit appendix de erroribus alis, non quidem in hæreses, at in contentiones tam & in schismata, versis.
- III. de hærefiologia biblica, seu e scriptis Apostolorum delineatæ, illustratione ea, quam epistolæ IGNATII & reliqui scriptores ecclesiastici exhibent, præcipue de Cerintho & Cerinthianis ac Nicolaitis.
- IV. de hereticis falso creditis, seu de iis, qui hæreticis fuerunt deteriores, ut Simon Magus & eius scato-

## PRAEFATIO.

Etatores: aut qui perperam pro hæreticis sunt  
habiti, vt *Ebionæi & Nazaræi*: quibus nominib-  
us per scomma ipsos sinceros christianos fuis-  
se appellatos, demonstratur.

## Hæresiologia seculi secundi itidem quatuor absoluitur dissertationibus sequen- tis ordinis:

- I. de *Gnosticis* ab *IRENAEO* descriptis, præcipue *Va-*  
*lentinianis*, & reliqua istorum colluie.
- II. de *Marcione*, *Praxea* & *Hermogene*, hæreticis a *TER-*  
*TVLLIANO* præcipue detectis & refutatis.
- III. de *Schismaticis* seculi secundi, h. e. de *Montanistis*  
& *Encratitis*, nec non de schismate, seu contro-  
uersia, in causa celebrandi festi paschatos.
- IV. de *defectibus heresiologiæ* veterum, ac inter recen-  
tiores *Itrigianæ* & *Arnoldianæ*.

Hæc est instituti præsentis ratio. Quod si  
Deus longiorem vitæ vñram mihi concesserit, nec  
responsorum, qui in actu publico defensionem  
fuscipliant, opera subsidiaria mihi defuerit, quovis  
semestri, aut anno, fecuturo nouum aliquem dis-  
sertationum fasciculum in reliqua historiæ ecclesi-  
asticæ capita, sed itidem primum ad duo priora fe-  
cula tantum restricta, exhibebo. Halæ Saxon. Id.

Aug. MDCCXXIV. PRO-

PROLEGOMENA  
IN INTEGRVM  
DISSERTATIONVM FASCICVLVM.

De

Bono ecclesiæ interno, in doctrinæ  
cœlestis deposito & veri Christiani praxi: nec  
non de iusta hæreleos definitione:

Suvorū,

In historia ecclesiastica mala ec- Quæ Christianismi bona ipsum  
clesie ita describenda sunt, ut præ- omnibus reipublicæ ordinibus ab in-  
cipie honorum habeatur ratio. §. I. II. signi utilitate commendabant. §. VIII.

Bonum vero internum, malo inter- Et hac ipsa bona ostenduntur in  
no, quod in hæresibus est, oppositum, seculi apostolicæ ecclesiæ ex Apostolo-  
præcipue quinque doctrinæ capita rum epistolis. §. IX. XI.

complectitur §. III.

Nempe illud de persona & officio Quæ Christianismi bona ipsum  
Christi, præcipue blasphemico, tanquam omnibus reipublicæ ordinibus ab in-  
salutis fundamento §. IV. V.

Et illud de fundamenti applicatio- Et hoc ipsa bona ostenduntur in  
ne in iustificatione & charismatum seculi apostolicæ ecclesiæ ex Apostolo-  
donatione, §. VI.

Nec non ista de iustius applicationis Proponitur definitio hæreleos. §.  
ordinis & usu in sanctificatione & XIII.

libertate §. VII.

§. I.

Peræ quidem videri posset pretium fore, Et hoc ipsa bona ostenduntur in  
vt, quantum & quam multiplex bonum seculi apostolicæ ecclesiæ ex Apostolo-  
ecclesia seculo primo fundata acceperit, & in salutem quam plurimam, præclari in-  
star depositi, possederit ac usurpare sit, peculiari tractationis sectione ex instituto exponerem:

B

in-



## DE HAERESIOLOGIA

in primis cum *Centuriarum Magdeburgensium* auctores hac in parte laudabiliter nobis præiuerint: quippe apud quos maior libri secundi in Centuria I. pars de doctrina christiana per omnes fidei articulos, ex scriptis apostolicis deducatos, longa serie agit. Verum enim vero hac ego opera, quæ mihi videtur ab historico instituto recedere, supercedebo, lectore meo ad scripta cum dogmatica, tum exegetica in scripturam apostolicam, remitto.

## §. II.

*Bona* vero ista a Deo ecclesiæ collata, quocunque nomine appellantur, & quocunque modo sive lateant, sive existent, ut probe obseruentur, in rerum christianarum historia maximi momenti res est. Quod si enim semper audias, aut legas, *mala* ecclesiæ, quomodo intra ipsam tot pestilentes exortæ sint hæreses, aut data vite scandala; quomodo ipsa eius membra inter se per contentiones & schismata diuisa sint, & quam horrendæ diuisionem procellæ modo vniuerso ecclesiæ corpori, modo huic & illi parti, incubuerint, fieri potest, ut impetratis, qui crucis mysterium non capiunt, nec ecclesiæ clemencia intropiciunt, ipsa religio christiana incipiat vilesse, empæctæ vero occasionem inde accipiunt eidem insultandi. Quare consultum omnino est, in rerum ecclesiasticarum narratione mala quidem non dissimilare; sed id tamen quam maxime agere, ut *causa* & *opera* Dei recte siant conspicua, & sui' venerationem possint excitare: quemadmodum prudentis lectoris est, ut ad hunc ipsum scopum etiam non monitus suos mentis oculos præcipue conuertat. Prudenter autem con-

uer-

## DISSERTATIO PRIMA.

ii

uerit, qui cum magno hæresium malo comparauerit *bolum* istud multo maius, quod illa exhibent historiæ priorum seculorum capita, quæ agunt de ecclesiæ christianæ fundatione, propagatione & amplificatione: porro de eiusdem doctoribus & ecclesiasticis scriptoribus, eorumque scriptis: item de eius regimine, disciplina ac ritibus: nec non de istis DEI præsidiis, quæ ipsi inter ipsas diuexationum tempestates in tot intrepidis veritatis confessoribus non sine miraculis quam luculentissime præstitit, inestimabili Euangelicæ doctrinæ bono, seu venerabili illo veritatis ac pietatis mysterio, per hostium tyrannidem adeo non suffocato & extincto, vt sub alma cruce potius subinde luculentius effluererit.

### §. III.

In ipso autem cœlestis doctrinæ deposito, quod hæreses attenterunt, præcipue *quinq[ue] hæc dogmata primaria* a singulis fidelibus aude sunt arrepta & per fidem in mysticum & cœlestem animæ alimentum ornatum que sincere conuersa: *primum* & secundum de *persona & officio Christi Θεοῦ προπτέρως*, & inde emergente redemtionis, seu satisfactionis præstitæ, opere, tanquam gratiæ Dei triunus vniuersalis documento luculentissimo: *tertium* de fundamenti istius, seu partæ per satisfactionem salutis, *applicatione*, posita in *iustificatione forensi & donatione charismatum*, seu bonorum spiritualium ad regni diuini interiora pertinentium: *quartum* in applicationis istius ordine, seu in *sancificazione*, quæ in vera animi mutatione, seu regeneratione ac conuersione incipit, ac in quotidiana renouatiouiis negotio continuata magis magisque excolitur ac perfici-

B 2

tur;

## DE HAERESIOLOGIA

tur; ita ut Dei *beneficiis officia nostra* fideliter respondeant. *Quintum* denique in applicationis istius usu, in *libertate christiana* posito.

## §. IV.

Ad primum de persona Christi quod attinet, istud habitum fuisse pro dogmate primario πάσης ἀποδοχῆς ἀξέλων, ex eo liquet, quod Apostoli in eiusdem negatione, aut depravatione, præcipuum fugienda hæreseos notam posuerunt; vti deinceps videbimus. Et eadem erat ratio officii Christi, præcipue sacerdotalis, in expiatione & satisfactione occupati. Et hanc doctrinam neophyti e Iudeis e principio gratiae eo maiori cum προθύμῳ studio que recipiebant, quo magis illa ipsi Iudaismo in cultu typico, seu Levitico, erat domestica, adeo ut pro ipsa religionis Iudaicæ indole, in euangelio recte patefacta, non possent non agnito Messiae opus redemtionis & satisfactionis forensis, tanquam ipsi maxime proprium, tribuere.

## §. V.

Et cum reliqua etiam gentes omnes inde a temporibus Noachi, seu primæ dispersionis, ex eiusdem schola ac disciplina dogma de expiarione sacrificiali & satisfactione piaculari pro κατεξηρασίᾳ haberent δοξάν, per traditionem accepta, & perpetuo usu confirmata; non poterant non sibi gratulari de eiusmodi Euangeliō, quod illam ipsam doctrinam, antehac pro vera origine ac indole sua maxime ignoratam & depravatam, sua restitueret integrati, veramque eius naturam in ipso complemento antitypico ante oculos poneret: et si plurimi ab alma hac veritatis euangelica luce, eo quod internam animi μεταμόρφωσιν requirebat, tergum obuerterent, a satana

ex-

## DISSERTATIO PRIMA.

13

excēcati. 2. Cor. IV, 4. Admissō autem hoc salutis iſtaurandae fundamento non poterat non simul admitti eius applicatio, in iustificatione forensi & donatione ac receptione variorum charismatum sita, utpote sponte sua inde resultans.

### §. VI.

Ne vero hæc *fundamenti applicatio* fieret peruersa, ſeu ne ea, quæ ſpiritui renato destinata erant, carni corruptæ, ut cum ſcriptura loquar, tribuerentur, & hac ratione redderentur irrita & imaginaria, Apostoli, methodi docendi, ab ipſo Christo uſurpatæ ac ſibi traditæ, e principio uincionis retinentiſſimi, omni cura studioque commendabant, immo uirgebant, ordinem μετανοίας talis, quæ ipſa animi totius regeneratione & conuersione ſe exſereret, & continuata renovationis praxi ſe probaret. Qua ratione Christi confeffores eiusdem quoque imitatores & viua doctrinæ exempla exiſtebant, & ab hypocritis facile dignoscebantur. Atque ita ſpeciatim nequaquam aliam illuminationis viam, qua ad veram DEI rerumque diuinarum cognitionem peruenire datum fit, tradiderunt Apostoli, niſi eam, quam iſta vera animi regeneratio & μετανοία exhibebat, a noua illa nonnullorum τερατολογίᾳ, qua etiam homini bus impiis μετανούσι, & cum perfeuerantia talibus, e nefcio quæ alluminatione genuinus notitiae spiritualiſ habitus adſcribitur, alieniſſimi & quam maxime abhorrentes; quemadmodum in diuersis ſcriptis aduersus iſtam heterodidascaliam ex instituto pluribus demonſtrauit.

### §. VII.

Hic vero aditus ad christianismum, in ordine *ba-*  
*prisni*  
B 3

*ptisini & regenerationis constitutus, ac cum eucharistie  
vsi in renouationis exercitio coniunctus, recludebat  
christianis regni Dei interiora, iis ad beatam istorum pos-  
sessionem admissis. Quotquot enim conuertentis ac  
illuminantis gratiae disciplinam sincere subibant, illi fide  
divina, quæ spiritualis vita ac lux est, donati, & accessum  
ad thronum gratiae nocti, hunc adibant, cum certissi-  
mo effectu iustificationis ac iustitiae, nec non uberioris  
unctionis spiritualis. Et iidem, suauissimo interioris  
pacis ac tranquillitatis, nec non libertatis, letitiaeque ac  
fiduciae, sensu perfusi, habebant intra se regnum Dei, & in  
eo bonorum omnium cumulum, malo, quod in pec-  
cato adhuc residuum erat, longe maiorem. Huc enim  
illud *spiritus robur*, & illæ vires accedebant, quibus in-  
duti peccati propagines, solicitationes ac impetus in-  
tra se poterant refrenare ac subigere, aduersa vero, ob  
confessionem Christi & veri rectique studia ac praxes  
ab improbis illata, si non semper læto, intrepido ta-  
men & constanti, animo perferre.*

## §. VIII.

Et cum hæ christianorum dotes, hæc bona ita es-  
sent interna & interiorem hominem ornarent, ut virtu-  
tem ac præstantiam suam etiam per omnem vitam, in  
omnibus vita ordinibus atque actionibus exsererent; facile  
in sui admirationem & amorem etiam alios a Christia-  
nismo adhuc alienos pertrahere poterant; ipsa religione  
christiana hac ratione non parum commendata. Ex  
eo enim intelligebant politici & øconomici ordinis  
homines, alias simulacrorum cultores, religionem chri-  
stianam adeo non aduersari rei publicæ ac familiaris  
com-

## DISPVTATIO PRIMA.

15

commodis, vt hæc potius ista insigniter promoueat & amplificet, ipsumque rei publicæ ac singularum societatum & familiarum statum ita componat ac dirigat, vt ille, his, quæ iniqua ac prava sunt, inde se iungat, æquitatis ac iustitiae omnisque virtutis praxi & laude efflorescat. Et hoc ipsum est, quod Christianorum apologetæ in apologiis suis subinde commemorant. Hoc est, quod suo adhuc tempore AVGVSTINVS religionis christianæ hostibus, qui eam rei publicæ inutilem, immo noxiā, esse criminabantur, opponebat, epist. V. ad Marcellinum: *Qui doctrinam, inquiens, Christi aduersam dicunt esse reipublicæ, dent exercitum tam, quales doctrina Christi esse milites iusfit: tales prouinciales, tales maritos, tales coniuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales seruos, tales reges, tales iudices, tales denique debitorum reddidores & exactores ipsius fiscis, quales esse precepit doctrina christiana, & audeant eam dicere aduersam reipublicæ, immo vero dubitant eam confiteri magnam, si obtemperetur, salutem esse reipublicæ.*

### §. IX.

Percurrat nunc apostolorum Ap̄stolas, ex iis carptim ostensurus, quantum ecclesia christiana bonum intra se in singulis suis membris genuinis habuerit, pro verissimis ipsorum Apostolorum testimonii. His vero præmitto illud Lucæ encomium de ecclesia Hierosolymitana, per primam & secundam Petri concionem collecta, aut potius insigni accessione aucta, Act. IV. quod, intuitu spiritualium bonorum, in Euangelio per fidem in Christum obtentorum, temporalium bonorum iacturam voluntariam, per corundem communio-

nionem, in gratiam plurimorum egentium introduc tam, pro re nihil habuerit. Et cum Apostoli propter nomen Christi duro & ignominioso flagellorum supplicio coram synedrio essent affecti, discedebant læti, de iniuriis, Christi cauſa illatis, sibi gratulati; nec, vt iussi erant, publicum de Christo præconium intermittebant. Act. V, 40. 41. Quæ parrhesia, in ipsis aduersis demonstrata, certe luculentissimum erat documentum regni Dei, quod intra ſe gerebant. Ut nihil nunc dicam de exemplo Stephanī, Paulī & Barnabæ, Silæ, & aliorum, in iisdem Aetis paſſim commemoratorum.

## §. X.

Romanorum, qui Christo nomen dederant, fides lux erat intra illos tanti ardoris, vt fulgorem ſuum in uerſo mundo, quoque Romanenſium rerum notitia cerebatur, ſpargeret. c. I. 8. confer c. XV. 32. Fide vero iuſtificati in Christo cum Deo pacem habebant, adiutumque ad Deum liberrimū ac fiduciam plenisimam, coniunctam cum plerophoria de ſalute eterna, in Christo quam certiffime obtinenda, pro eo diuinæ gratiae gauſtu, qui per ſpiritum sanctum in ipſorum cordibus erat diffusus. c. V, 1. seqq. Iidem dicuntur accepisse abundantiam gratiae & donare iuſtitiae ad regnandum in vita per Iesum Christum. v. 17. Traditi, & quaſi impressi fuerant in typum doctri na euangelice, adeo, vt haec in ipsis per obsequium fidei expressa conſpiceretur. c. VI, 17. Erant Dei habitacula, a ſpiritu sancto inhabitata, ab eodem vti uocata, ita etiam ducta, recta, & in quibusuis aduersis corroborata, caritate Dei paſſua ſubinde profundiores in ipsis radices agente & per actiuam ſe exferente. c. VIII. Ha be-

## DISSERTATIO PRIMA;

17

bebant donum donisq[ue] spiritualis, in veri cultus & renouationis ordine magis magisque augendum c. XII, 1. seqq. Dominoque ita viuebant, vt eidem etiam cum spe æternæ salutis certissima mori possent. c. XIV, 7. seqq. certi de regno Dei, regno iustitie, pacis ac leticie spiritualis intra se instaurato v. 17. vtpote repleti omni bonitate & omni cognitione spirituali. c. XV, 14.

### §. XI.

Corinthiis quidem, certe eorum multis, multa adhuc deerant; ditati tamen erant omni ex parte, omni doctrina & agnitione, ita vt, postquam euangelium de Christo in ipsis fuerat confirmatum, nullum inter eos desideraretur charisma. 1 Cor. I, 4. seqq. Erant Dei templum, ab ipso Deo inhabitatum. c. III. v. 16. c. VI, 19. 2 Cor. VI, 16. Quantam habuerint charismatum copiam, edisceritur c. XII. & XIV. Et quanquam præter nauos alios de non nemine enotuisset scandalum incestus; ea tamen reliquorum erat sinceritas, vt de eo correpti eius emendationem magno studio promotum irent. Erant epistola Christi, per ministerium euangelii viventis Dei spiritu scripta, & ab omnibus legenda. 2 Cor. III, 2, 3. Erant Christo despontati, tanquam casta virgo, ipsi in simplicitate spiritus adhaerentes. 2 Cor. XI, 2. Idem, immo maiori ex parte multo adhuc præstantior, erat status aliarum ecclesiarum, quemadmodum ex epistolis reliquis est manifestum, ita vt eius representatione supercedere possim. Et ad illos, qui ex Hebreis in Christum crediderant, quod speciatim attinet, testatur Paulus, ipsos ita fuisse illuminatos, vt spiritus sancti participes facti gaudauerint cœlestis donum, præstantissimum Dei verbum, & virtutes futuri seculi.

C

c. VI,

c. VI, 4, 5. & quod meliorem, seu cœlestem, substancialiam intra se ipsos gerant repositam, cuius respectu ab ipsis bonorum terrestrium iactura cum gaudio fuerit tolerata. c. X, 34.

### §. XII.

Hæc hactenus de illo purioris doctrinæ deposito, quod pretiosissimi thesauri instar ecclæsia christiana a Christo & eius Apostolis accepit, & in membris suis genuinis, eorumque scriptis, per contigua singulorum seculorum tempora integrum ac incorruptum seruavit. Huic vero, tanquam *inestimabili bono*, repugnat grande illud & perniciosissimum *malum*, quod est in *heresisbus*. De quo priusquam ex instituto agatur, merito præmittenda est iusta *heresios definitio*.

### §. XIII.

*Heres*, in sensu theologico proprio sic dicta, *error malitiosus, seu potius plurium errorum cumulus, quo, (religionis christiane principio, scriptura sacra, & fundamento, Christo, tanquam promisso generis humani Messia, nec non eiusdem fine & eventu, vita æterna, cum eius opposito, & dogmate de immortalitate animæ, generatim admissis) doctrina de illo salutis fundamento ac ordine ita negantur, aut depravantur, ut is, qui corrupelas iissas sequitur, salutis sue spiritualis ac æterne iacturam faciat.*

### §. XIV.

Errorem, seu errorum cumulum, cum in hæretico *malitiosum* voco, intelligo eam haud regenitatem, sed corruptissimam, voluntatis malitiam ac prauitatem, quæ cum erroribus intellectus ita coniuncta est, ut eos partim gignat, partim augeat alatque. Et cum ista voluntatis præuale labes varia sit, in ea præcipue respectu

ha-

## DISSERTATIO PRIMA.

19

hærefoes se exferere solet *sabius spiritualis*, e singulari  
philautia in perinaciam abiens.

### §. XV.

Quod si hæreticus religionis christianæ principium,  
*scripturam sacram*, & eiusfundamentum, Christum, plane  
non admireret; aut negaret immortalitatem animæ una  
cum dogmate de vita ac morte æterna; non esset hære-  
ticus, sed hæretico adhuc deterior, a christianismi con-  
fessione plane alienus & extra ecclesiam positus, ideo-  
que hostis ecclesiæ non internus, sed externus.

### §. XVI.

Ad *fundamentum* vero ac *ordinem salutis* quænam  
pertineant, ut nunc edisseram ac demonstrem, instituti-  
ratio non permittit, & lectors meos de hac quæstio-  
ne grauissima remittere possum ad eam huius materiæ  
tractationem, quam in *Systemate recentiorum contro-  
versiarum antibarbaro* Parte IV. Sectione i. exhibeo. Ut  
tamen etiam hic quam breuissime dicam, quod res est;  
ad *salutis fundamentum* pertinet doctrina de *Christo*, eius-  
que persona, officio & diuerso statu, sed cum dogma-  
te de *Deo* & *sacrosancta Trinitate* coniunctim considera-  
ta; vtpote sine quo ista integra esse nequit. *Ordinem*  
vero *salutis* constituant doctrinæ de *peccato*, *libero arbitrio*,  
nec non de *gracia Dei forensi* ac *medicinali*, in nego-  
tio conuerzionis, iustificationis ac renouationis, ac in  
*vnu libertatis*, per media diuinitus ordinata recte ad-  
mittenda.

### §. XVII.

His ad declarationem definitionis propositis, pro-  
be obseruanda & deinceps applicanda sunt *axiomata*,

C 2

quæ

## DE HAERESIOLOGIA

quæ e definitione ista hæreſeos ſic declarata reſultant, nimirum hæc:

- I. *Quicunque nec religionis christianæ principium, scripturam sacram, nec eius fundamentum, promissum & exhibitum mundi Meſſiam, nec animæ immortalitatem cum vita aut morte æterna, generatim admittit, ſed negat, immo explodit & irridet, is non eſt hereticus, ſed heretico deterior.*
- II. *Quicunque errat quidem circa fundamentum ac ordinem ſalutis, utrumque tamen non ita deprauat, vt inde preſen- tiffima ſpirituſal ac æternæ ſalutis factura inferatur, is non eſt hereticus, ſed heretico melior, excusatius errans.*
- III. *Quicunque circa ſalutis fundamentum ita errat, vt illud nominetenus admissum re ipſa, quantum in ipſo eſt, euer- tat, is etiam grauiſſime errat circa ſalutis ordinem, tan- quam fundamenti applicationem, errores fouens heretici- cos.*
- IV. *Quicunque ſalutis fundamentum quidem in theſti dogma- tica integrum admittit; ſed eiusdem applicandæ tamen or- dinem & uſum ita peruerit, vt inde æternum exitium per- fe reſulteret, homine in corruptioniſ ſue naturaliſ ſtatu re- lifto, is errores fouet hereticos.*
- V. *In imputatione hæreſeos magna opus eſt cautione, ne per- ſone hereticis deteriores, aut meliores, immo ipſi inno- centiſimi & orthodoxi doctores ac christiani, in heretico- rum catalogum referantur, iis, qui ad eum reuera perit- tent, inde exenitis ac prætermiſſis.*
- VI. *Hæreſis proprie dicta omnino grande malum eſt ecclæſia, nequaquam extenuandum: quemadmodum nec commi- tenda eſt heretopæia.*

sup

IPSA

IPSA TRACTATIO  
DISSERTATIONIS PRIMAE

De  
**Hæresium prædictione apostolica,**  
& copioso earum prouentu in plerisque ecclesiis,  
principue Asia.

*Hæreses esse futuras prædixit ipse  
Christus §. I.*

*Nec non Paulus & Petrus §. II.*

*Cuius prædictionis eventus depre-  
densus est in ecclesia Romana §. III.*

*In Corinthiæ §. IV.*

*Et in Philippens §. V.*

*Nec non in ecclesia Galatia §. VI.*

*Ez Colossiensi §. VII.*

*Ac in Ephesiña §. VIII.*

*Item in ecclesia Asia, ad quas ex-  
stant epistola Christi apocalypticæ*

*§. IX.*

*Idem de ecclesia Asia confirmatur  
ex epistolis Ioanneis §. X. nec non e  
Iacobæ §. XI. & e posteriore Petri  
va & illi Iude §. XII.*

*Quæ deduciosex exhibet confessio-  
ria §. XII.*

§. I.

**H**aereses & scandala doctrinæ in ecclesia christiana  
esse exoritura, iam suo tempore Christus & eius  
Apostoli aperte prædixerunt. Et Christus qui-  
dem Matth. XIII. sub figura diversissimi agri & zizanio-  
rum inter tritici segetem progerminantium. Vbi in-  
dicat, fore, vt hominibus, præcipue ecclesiæ vigilibus,  
sonno sopitis, hostis eiusdem *ναρ' ζοχην* talis zizanio-  
rum semina purioris tritici sementi inspergat, istorum-  
que luxuries dominans bonam tritiei partem suffocet.  
Id quod de scandalis, non vita solum, sed doctrinæ et-

iam pestiferae, & huius quam maxime, intelligendum esse, res ipsa ostendit. Et hoc est, quod tristis experientia per singulorum seculorum seriem abunde comprobat. Pertinent huc etiam illa Christi effata, quæ de *pseudoprophetis* & *pseudochristis* præsentibus & futuris. Matth. VII, 15. seqq. XXIV, 5. leguntur: quanquam ea sensu speciali partim ad sectam Phariseorum, partim ad spiritus fanaticos & impostores seditiosos, in gente Iudaica breui exorituros, & postea præcipue usque ad urbis templique excidium maxima cum populi perniciose exortos, potissimum referenda sint.

## S. II.

Non minus perspicue sunt *Apostolorum prædictio*nes de malo hoc ecclesiæ domestico ac interiori. Notabilis in primis est locus Pauli, arcensitis ecclesiæ Ephesinae presbyteris valedicturi. Act. XX, 29. sqq. ubi: *Noui, inquit, post abitum meum lupos graues ad vos esse ingressuros & gregi haud parsuros. Immo ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes διατριβήν, ut abstrahant discipulos post se.* In epistola posteriori ad Thessal. notabilis Pauli est prædictio de Antichristo, cum emphasi tali futuro. Et in epistolis Pauli pastoralibus ad Timotheum tria habemus loca prophetica de exorituris spiritibus malignis ac pseudodidascalis. Primum 1. Tim. IV, 1. seqq. ubi ipsorum characteres videoas pluribus descriptos, præcipue in hypocrisi, ψευδολογίᾳ, & conscientia cauterio resecta. Secundum 2. Tim. III, 1. sqq. ubi exulceratam ultimorum temporum faciem ita delineatam videoas, ut doctrinæ scandala scandalis vitæ sint mixta, & alia luxuriantem aliorum prouentum promoueant. Quod ma-

lum

## DISSERTATIO PRIMA.

23

Ium ita adhuc erat futurum, vt iam tum impetum fecisset haud exiguum, vti ex integro eius loci contextu liquet. *Terrium* in eadem epistola c. IV, 3. 4. vbi prædictur, ipsos auditores, veritatem euangelicam pertæsos, secundum pruritum aurium & prauas cupiditates sibi accumulaturos esse doctores, pro veritate fabulas docturos. Huc pertinet ex posteriori epistola Petri totum fere caput secundum; quippe quod vltimorum temporum pseudodidascalos ita describit, vt eos iam magna ex parte exortos esse tradat, &, quibus characteribus a doctoribus genuinis dignoscendi sint, ostendat.

## §. III.

Videbimus nunc *euentum* harum *prædictionum*; & primum quidem in ecclesia ROMANA. Hic exorti sunt pseudodidascali, qui excitarunt *διχοσαστας* & *σκάνδαλα των την διδαχην*, *dissensiones* & *offensiones* præter doctrinam ab Apostolis traditam, & ab Romanis receptam, cum euentu seductionis apud *εἰςάγεις*, homines innocuos, sed imperitos. Et istos duplice Paulus *insignit charactere*, uno a ministerio non Christi, sed ventris; altero a specioso *mataælogie* instrumento, a *corrupta eloquentia* & affectata arte homiletica defumto, inferta grauissima fugæ commendatione. c. XVI, 18, 19. Et hos mataælogos fuisse satanae instrumenta, haud obscure indicat, quando monitis istis votum de *satana breui sub fidelium pedibus conculcando subiungit* v. 20. Ex qua descriptione liquet, hosce pseudodidascalos fuisse spiritus *πλάνης*, ab iis, de quibus cap. XIV, agit, siue imbecillioribus, siue confirmatoribus, offensionem mutuam sibimet ipsis creantibus, omnino diuersos. Huc etiam pertinent,

que

## DE HAERESIOLOGIA

quæ Paulus Roma ad Philippenses scribens, c. I, 25.  
sequ. de pseudodidascalis *Christum haud pure*, immo ad  
maiores ipsius afflictionem *prædicantibus*, commemo-  
rat.

## §. IV.

Nec Corinthiacæ ecclesiæ sua doctrinæ scandala, ea-  
que grauiora & ab erroribus ac offenditionibus, seu differen-  
tiationibus nonnullorum diuersa, defuisse, manifestum est  
ex epistola Pauli ad eos scripta posteriori. In huius enim  
c. II, v. 17. is heterodidascalos vocat καπηλέυοντας Τὸν λόγον  
τὰς Θεᾶς, cauponantes verbum Dei, quadam quasi cauponaria  
exercita, & euangelii corruptione ad quæstum relata.  
Idem meliore suo exemplo proposito repetit c. IV, 2.  
falsis doctribus præter euangelii depravationem,  
Τὰ νεωπτὰ τῆς αἰχνῆς, occultam turpitudinem & πανεργάτες,  
versutiam, a veritatis ad conscientiam demonstrandæ  
preconio abhorrentem, tribuens. Et cap. XI, 3. 4. tit-  
met, ne Corinthiorum mentes heterodidascalia ἀπὸ τῆς ἀ-  
πλάτης Τῆς εἰς χειρὶς, ab illa simplicitate, quæ in Christum di-  
recta erat, abducantur. Et istos impostores v. 13, 14, 15.  
vocat pseudopabolos, operarios dolosos, ministros satanæ,  
schema apostolorum Christi & ministrorum lucis mentientes,  
eucentum operibus suis dignum habituros; eosdemque  
v. 20. describit a dominatu in fideles satis duro & acerbo.  
Ex epistola priore hic præcipue pertinet locus, c. XV,  
32, 33. vbi quorundam matæologia vsque ad negationem  
resurrectionis mortuorum processisse dicitur: item ex c.  
XI, 19. oportet inter vos esse hæreses: vbi tamen hæc ipfa  
vox sensu latiori sumitur de schismatica membrorum  
inter se diffensione.

## §. V.

## §. V.

A *Corinthiaca* ordinis caussa ad reliquas Græciæ ecclesiæ, hoc tempore illustres, progredior. *Philippensem* pseudodidascalis fuisse turbatam, e manifestis patet in*dictiis*, c. III, v. 2. vbi Apostolus istos a canina impudencia & infestatione *canes* vocat, *malignosque operarios ac concisionem*, præposta circumcisio*nis commendatione* unitatem fidei concidentes, ideoque vitandos, & quidem magna cum sollicitudine, verbo θλίψει ter posito iniuncta. Et hos ipsos c. III, 18, 19. vocat *hostes crucis Christi*, *terrena sapientes*, *quorum Deus sit venter*, gloria in*ignominia*, *exitus in exitio*, adeo corruptorum noxiorumque ecclesiæ, vt in ipsorum commemoratione fibi a lacrymis temperare nequeat. Et vix est dubium, de his ipli accipiendum esse monitum illud, c. I, 28. vbi fidelibus commendat animum intrepidum, ἀντιπεμένων ad interitum properantium insidiis ac insultibus superiore*m*. Nec a *Thessalonicensum* ecclesia scandala doctrinæ plane absuisse, ex obscurioribus colligitur in*dictiis*; quandoquidem eorum mentionem expressam Paulus fecit nullam.

## §. VI.

Digredior ad ecclesiæ *Afæ*. In ecclesiis *Galatis* ortam esse hæresin, & quidem adeo exitiale*m*, vt multorum fidem, ipsius salutis iactura inducta, plane euerterit, epistola sua magna ex parte elenctica & epanorthotica Paulus indicat, ad elenchum, cum grauissimo anathematis fulmine in spiritus πλάνης, accedens. Nervus vero erroris omnis fuit in falso credita & inculcata *circumcisio*nis** & proprii meriti necessitate ad salutem. c. II,

3, 21. IV, 9. seqq. 19, 21. IV, 17. V, 1. seqq. VI, 12, 13. Quo cum doctrinae euangelicæ fundamentum tolleretur, Paulus Φεραντάτος, anathemate generatim exceptis, iustum Dei iudicium denuntiat, Apostolica seueritate aduersus ipsos vsus. c. V, 10, 12, 15. Quam vero noxia fuerint doctrinæ scandala, Galatis a peruersis legis doctribus obiecta, Paulus inter alia suo indicat nisu intensissimo, quo ipsos, ad aliud plane euangelium traductos, & de gratiæ statu magna ex parte deturbatos, in eundem reducere laborabat: *filioli mei, inquiens, quos iterum parturio, donec Christus in vobis formetur.* u. τ. λ. c. IV, 19.

## §. VII.

Nec Colossenſum ecclesiā ab heterodidascalorum corruptelis turbisque mansisse immunem, ad eam scripta Pauli epistola testatur. Nam cap. II, 4, 8, 16. seqq. præmunit neophytes aduersus falsoſum doctorum paralogismos & *ωιθενολογίαν*; aduersus eorundem *pseudophilosophiam*, mentium deceptricem, secundum traditionem hominum & elementa mundi: aduersus præpoteris legis Mosaicæ doctores, grauissime monens, ne feſinant abripi in affenſum & commercium per affectatam animi demissionem, cum magno ciudem tumore coniunctam; nec per iactatas angelorum apparitiones, & alias commentitii cultus formas. Certe in vniuerso noui testamenti codice non est locus, vbi pseudodidascalia, e præpostero Iudaismi studio orta, plus speciei & affectionis habuisse videatur, quam in hoc ipſo. Et cum veri specie periculi magnitudinem fuisse coniunctam, non est dubium, nec Paulus diffimulat.

## §. VIII.

## DISSERTATIO PRIMA.

27

## §. VIII.

Pergo ad ecclesiam *Ephesinam*. In hac *lupos rapaces*, quos orituros Paulus prædixerat Act. XX, 17, 29, 30. breui ortos fuisse, non dissimulat in epistola ad eam scripta, quando c. IV, 14. exigit, ut in spiritu ad confirmatiorem christianismi etatem adolescent, & sibi caueant a vento doctrinæ corruptæ inani, & a falsorum doctorum *μυθεῖα* & *πανηγύρια* ad μεθοδεῖαν τῆς πλάνης composita. Nec obscure c. V, v. 5, 6. indicat, eiusmodi pseudodidascalos vitæ impietatem pro scopo habuisse; ut pote qui eius patrocinium *κενοῖς λόγοις* adornauerint. Et cum vtraque epistola ad *Timotheum*, tanquam Ephesinæ ecclesiæ antistitem, perscripta sit, huc inde sequentia pertinent loca: epist. I, c. I, 4, 5, 6, 7. de *nomodidascalis iudaizantibus*, ad heterodidascaliam variamque matæologiam deserta sanioris doctrinæ summa prolapsis. Conf. c. IV, 7. item c. I, v. 19, 20. de *Hymenœo & Alexandro*, aliisque vastata bona conscientia fidei naufragium passis: & c. VI, 3, 4, 5. de *beterodidascalis*, qui, salubrī & ad studium pietatis composito doctrinæ euangelicæ typo posthabito, inflata & corruptissima mente versi sint ad *λογομαχίαν* & inutiles disceptationes, pietatis professionem pro questu habentes. Porro v. 20. de *κενοφωνίᾳ* & antithesibus *ψευδωνύμια γνώστεων*, fugiendis. Ex epistola posteriori huc pertinent ea c. I, 15. de *Phygello & Hermogene*, qui cum aliis nonnullis Paulum deseruisse dicuntur. Id quod procul dubio factum est intercedente apud istos doctrinæ depravatione: & cap. II, 16, 17, 18. de *Hymenœo & Phileto* per profanam *κενοφωνίαν* ad vitæ impietatem prolapsis, adeo, ut aliorum etiam

D 2

non-



nonnullorum fidem peruerterint. Conf. v. 23. & cap. III, i. seqq. vbi vltimorum temporum *spiritus impostores* ita, tanquam adhuc exorituri, describuntur, vt, istos iam tum magna ex parte esse exortos, haud dissimuletur. Characteres ipsorum ibidem pluribus delineati fere omnes ad *hypocrisim & manifestam vite impietatem*, cum purioris doctrinæ corruptione coniunctam, redunt. Huc denique omnino referenda sunt ea, quæ ipse Christus per Ioannem in *epistolæ apocalypticarum prima*, ecclesiæ *Ephesinae* inscripta, de pseudodidascalis memorat, scilicet eos esse *pseudapostolos mendacissimos*, *Nicolaitas*, propudiofis operibus infames, ideoque iusto odio isto prosequendos. Apocal. II, 2, 6.

## §. IX.

Ab ecclesia *Ephesina* dederor ad reliquas Asiacæ ecclesiæ vicinas, præcipue *Apocalypticas* illas *sepiem*, quarum primam habebat *Ephesus*. *Smyrnensis* cœtus turbabatur per calumnias illorum, qui se *Iudeos*, seu genuinos Dei confessores, esse iactabant; re autem ipsa erant e *synagoga satanae*, huius instrumenta perditissima. c. II, v. 9. Ecclesia *Pergamensis* habebat iuxta se *thronus* & *cathedram satanae*, & in ea *doctrinam Beleamitarum & Nicolitarum* v. 13, 14, 15. *Thyatirenensis* cum non minori conflicitabatur malo, nimirum *Iesabelitico* doctrina corruptæ ac impurissimæ toxico, in quo erant *τὰ βάδη τὸ εὐταῦ*, v. 20, 24. *Philadelphiaensis* aduersantem sibi habebat *scholam satanae*, a præpostoris *Iudaismi* sectatoribus multum perpesta. c. III, v. 9. *Laodiceensis* vero pro haeresi tantam in presbyteris *accediam*, tantamque noxam habebat, quæ quidem minus erat conspi-

## DISSERTATIO PRIMA.

29

cua, at non minus tamen periculi membris quam plurimis adserebat. c. III, 15. seqq.

## §. X.

Ab hisce Ioanneis Christi ipsius epistolis ordinis gratia accedo ad epistolas tres *Ioanneas*, quae seorsum exstant, itidem ad Christianos Asiaticos, latiori sensu tales, perscripte. Prima triste perhibet testimonium de spiritibus antichristianis iam tum eo tempore exortis, e fidelium cœtu egressis, & negantibus Iesum esse Christum eiusmodi, qui sit verus Dei filius & ipse Deus, secundum humanam naturam in salvatorem vñctus, & Messias cum emphasi; & hac sua infania imperitos seducentibus, certe turbantibus. c. II, 18, 19, 22, 26. Et hos ipsos, certe eorum similes, rursus memorat, istorum & fuga fidelibus commendata c. III, 1-6. Nec defuerunt alii, qui doctrina euangelica, præcipue ea de iustificatione per fidem gratuita, ad peccandi licentiam traducta, sollicitarunt fideles, quos Ioannes aduersus istorum corruptelas præmunit: *Filioli*, inquiens, *nemo vos decipiat*. Qui facit iustitiam iustus est, quemadmodum ipse Deus iustus est. c. III, 7. Et ipsos illos antichristianos spiritus, qui doctrinam de persona, aut officio, Christi negabant, aut corrumpabant, pro charactere habuisse patrocinium impietas & κοσμοφύλαξ, aper-te indicatum videoas c. IV, 4. seqq. coll. cum v. 1-3. Idem confirmatum legas in epistola secunda, v. 7, 8, 9, 10, n. vbi multi ὥλεοι dicuntur in mundum venisse, speciatim tales, qui antichristiano ausu negent, Iesum Christum venisse in carnem, seu veram humanam naturam assumisse, & cum practica doctrinæ Christi violatione

D 3

insi-

insidientur fidelibus, ideoque in ædes recipiendi & salutandi non sint. Nec prætumidum *Diotrephen*, cuius ingenium & mores Ioannes epistola tertia v. 9, 10. describit, hæreticis istis antichristianis & *ωλάροις* multo fuisse meliorem, res ipsa indicat.

## §. XI.

Nec prætereunda hic est epistola *Iacobi*. In hac enim Apostolus reprehendit eos, qui existimabant, christianismum absoluī externa, eaque superuiciaria & inani, verbi diuini tractatione, nec non vana persuasione de fide & iustificatione. c. I, 21. seqq. c. II, 17. seqq. Vnde liquet, doctrinam euangelicam de officio Christi hiastico, seu de eiusdem satisfactione, vnde nostri fluit iustificatio, per turpissimum abusum abreptam fuisse in Epicureæ securitatis patrocinium, ipsa etiam libertate christiana in peccandi licentiam, quam etiam in aliis huius epistolæ locis reprehendi videoas, versa.

## §. XII.

Succedant epistole *Petri* & *Iude*: & *Petri* quidem posterior, ad Christianos Asiaticos, præcipue e Iudæis conuersos, perscripta, est, cui illa *Iude* magna ex parte respondet. Hic Petrus c. II, 1, sqq. a prædictione exortorum pseudodidascalorum statim pergit ad iam tum magna ex parte exortorum descriptionem. In qua illud præcipue obseruandum est, quod ipsorum characteres in corruptione grauissima doctrinæ de redemtione & renouatione ponit, professus, eam tantam esse, ut *τὰς ἀπηγεύεται* insidiose inescatos in summam vitæ licentiam & inapietatem soluat, libertatis christiane nomine incrustatam. Ethos ipos planos vario flagitiorum, et si

con-

## DISSERTATIO PRIMA.

31

confectorum, genere fuisse coopertos, pluribus edif-  
ferentem videoas ipsum Apostolum: qui inter alia v. 18,  
verbis: ὑπέρογυα γὰς παταύόντος Φθειγγόμενοι, indicat,  
ipsos pro imposturæ suæ instrumento vlos fuisse *arte*  
sua *homiletica*, ad pompam splendide composita. Et  
hæc ipsa Iudas ita confirmat, vt errorum omnium ner-  
uum ponat in turpissimo *divina gratia ad lasciniam*, seu  
peccandi licentiam, per tracta *abusu*, cum abnegatione  
Christi coniuncto, aut ad hanc apud homines *ψυχρὰς*  
*τανῦμει μὴ ἔχοντας*, tendente. v. 4, 19.

## §. XIII.

Hæc haetenus de *heresium predicatione & tristi se-*  
*gete*, seu prouentu, e scriptis apostolicis secundum or-  
dinem præcipuarum istius ævi ecclesiarum deducta.  
Quæ in summan contracta epicriseos loco hæc præ-  
bent consecaria:

- I. Errorum semina puriori doctrinæ euangelicæ tri-  
tico fraude & malitia satanæ statim fuisse inspersa,  
& inter illud adeo progerminasse, vt luxurie sua  
bonam melioris segetis partem suffocauerint, certe  
impedierint, quo minus felicius effloresceret: se-  
cundum Christi prædictionem Matth. XIII. da-  
tam.
- II. Plerosque, si non omnes, spiritus *πλάνως* & im-  
postores exiisse *e Iudeis*, religionem quidem chri-  
stianam amplexis; at varia mataælogia pseudoiu-  
daismi, partim etiam pseudophilosophiaæ barbari-  
æ ac Græcanicæ, mirum in modum corruptis. Et  
hoc est, quod Paulus *πῆπες* confirmat Tit. I, 10, 11:  
*Sunt multi, inquiens, refractarii & vaniloqui, ac men-*  
*tiuum*

24 DE HAERESIOLOGIA DISSERT. PRIMA.

rium deceptores, μάλιστα οἱ ἐν περιτομῆς, maxime illi ex circumcisione.

III. Doctores hosee falsos & pseudoiudaicos apostolicam, h. e. eximiam, auctoritatem affectasse, non sine manifesta verorum Apostolorum infestatione & contradictione, ipsorum doctrinis ac institutis opposita; & ipsos hinc pseudapostolos a Paulo vocari.

IV. Errorum vere omnium summam redire ad *quinq[ue] doctrinæ capita*, primum de *persona*, secundum de *officio Christi*, & tertium de inde redundantē *institutione*, quartum vero de partorum per Christum beneficiorum applicatione in *ordine renouationis*, & quintum denique de *libertate christiana*.

V. Haeticorum pessimos fuisse Nicolaitas in Asia, haeresium extantiorum sede præcipua.

VI. Nicolaitas vero ipsos fuisse Gnosticos, a iactata sublimiorum mysteriorum cognitione postea sic dictos.

Quorum momentorum tria priora iam tum luce radiant sua, posteriora vero peculiarem disquisitionem requirunt. Hanc vero dabunt dissertationes sequentes,

OB.


**OBSERVATIONES**  
 RESPONDENTIS ELENCTICAE,  
**Disputatori** cuidam Wittenber-  
 gensi oppositæ.

1.

**N**enerandus Dn. Præses, nouum illud Wol-  
 fianæ philosophiæ systema in *Modesta sua*  
*Disquisitione destructurus*, ipsi tractationi ad  
 lectoris informationem præmisit *Protheori-  
 am in Postulatis*, partim per *scholia* declara-  
 tis & per *corollaria* applicatis, partim per  
*theoremen utræ ex abundanti demonstratis.*

2. Inter *Postulata* secundum obtinet locum illud de  
*unione & communione animæ & corporis* non metaphysica,  
 sed *physica*, his conceptum verbis: *Inter duas essentiales*  
*hominis partes, animam & corpus, tanquam duas substantias*  
*physice distinctas, est unio physica unam constituens personam,*  
*& vii communione, sic etiam operatione physica se exercens.*

3. Et huic postulato hoc subiungit confectionarium: *Ergo inter animam & corpus, tanquam substantias physice distin-  
 ctas, ut unam personam libere agentem constituant, non ma-  
 gis locum habet unio metaphysica, quam inter duas notiones*  
*metaphysicas, ut distinctionem aliquam efficiant, unio ac com-  
 munio physica.*

4. Ut vero is contra eum, qui *unionem physicam*  
 negat, certe vi systematis sui non potest non negare, & me-  
 taphysicam ponit, assertum de *unione*, nec non *communio-*  
*ne & operatione physica* inter *postulata* referret, gravissimas  
 habuit causas, easque logice iustas.

E

f. Nam

5. Nam primo is assertum novi systematis de *unione metaphysica*, in negatæ physicæ locum substituta, non agnoscit, nec agnoscere potest, pro theoremate, quod in systemate isto argumentis, que villam discussionem requirant, cuiuscum sit: sed pro mera *hypothese*, sine ullo arguento, immo sine villa alicuius argumenti specie, gratis & temerarie assumta. Atque ita tam ἀφίλοσόφως aienti omni iure opposuit suum nego, & neganti suum dico.

6. Secunda ratio huius postulati sui est in sententiarum oppositarum indole. Nam quemadmodum *hypothesis Wolfliana* de negata animæ & corporis vniōne, communione & operatione physica & asserta metaphysica, non solum noua est & ante Spinozianæ φιλοροώσιας periodum inter philosophos quarumvis sectarum plane inaudita, sed sua etiam absurditate extrema, simulac proposita ac intellecta est, fecerit ipsam destruit, refutatione plane indigna: ita sententia opposita est dogma non solum omnium philosophorum aliorumque eruditorum, solis Spinozantibus exceptis, sed etiam totius generis humani; quemadmodum eiusdem fuit & manebit in omnem æternitatem: ut in oppositi erroris partes temere vocatus celeberrimus Franequeranorum Theologus ac Philosophus, R V A R DVS ANDALA, in erudita sua dissertatione de *unione animæ & corporis physica*, neutiquam *metaphysica*, ipse etiam contra Spinozantibus, non sine demonstratione ex abundanti adhibita, identidem assertur.

7. Quod si quis medicaster & portentosi medicinæ systematis architectus suo errorum & absurditatum syrmati substerneret hypothesis nouam de pulmonibus, tanquam concoctionis, & de ventriculo, tanquam respiracionis, sede & officina: aut si quis nouus physicæ de humano corpore ostentator suis doctrinarum portentis substerret fictionem de brachiis ac manibus non ad laborandum, sed ad ambulandum in morem quadrupedum datis: num doctissimus Disputator, hæc opiniorum monstrare refutaturus,

sibi

sibi impositum esse crederet negotium demonstrationis, brachiis manibusque non ambulandum, sed laborandum esse: nec pulmones, aut vesicam, sed ventriculum concoctioni ciborum esse destinatum? Id quod hic est responsus, sibi iam responsum esse in foro logico, facile intelligitur. Quis enim, nisi amens, negabit, Wolfianam hypothesin patri absurditatis passu incedere cum ipsis modo dicit?

8. Et ut hanc absurditatem gravitatem aliquo modo ostenderet ven. Dn. Praeses, isti *αὐδηροζύλων* de unione anima & corporis metaphysica asserta & physica negata, seu Postulato suo iustissimo, subiungit modo dictum illud conjectarium, quod inter *animam & corpus, ad constitutionem unius personæ, non magis locum habeat unio metaphysica, quam inter duas notiones metaphysicas unio ac communio physica ad distinctionis alicuius constitutionem.* Id quod in lectionibus Anti-Wolfianis ita declaravit, ut dicaret, duos afferes non absurdus aliquis, pro glutine, notione aliqua metaphysica, aut duas notiones metaphysicas glutine aliquo physico coniungeret, quam unionem statueret metaphysicam inter animam & corpus; et si haec substantiae cum ipsis alias comparari haud possint.

9. Duabus ipsis rationibus, extremæ absurditatis, qua opposita sententia per se laborat, ostensione illustratis firmatique, nixus Disquisitionis Autor omniure logico Postulatum suum secundum in Protheoria posuit, ita ut, qui vel sensum communem hic in consilium exhibet, quod logically desideret, inueniat neutquam.

10. Quandoquidem vero ipsi res erat cum Philosopho, qui, quæ ne rusticus quidem ullus ad studiū vi experientiæ vividissimæ ignorare & dediscere potest, suo ostentati ingenii acumine assequi nequit, ideoque negat; scilicet dari unionem inter *animam & corpus physicam*, & pro hac via inter hasce unius personæ substantias intercedere communionem, & vi communionis speciatim eam *animæ in corpus operationem*, ut oris loquela rationalis cum reliquis

voluntariis motibus corporis a regimine animæ dependeat: ideo, genio noui huius Philosophi se accommodaturus, sub *Prædictoræ* finem *Postulatum* illud suum in *Theorema* conuertit, eiusque veritate in ex abundanti *decem argumentis* demonstrauit.

11. Ut autem ex una quasi fidelia duos dealbaret parietes, in demonstratione sua *Postulatum secundum cum tertio* de communione animæ & corporis & de regimine animæ in corpus coniunxit. Nam quia *Postulatum secundum* ita posuerat de *unione*, ut præter eam simul expressam saceret mentionem *communionis & operationis physica*; *tertium vero Postulatum nihil aliud continet, quam hanc ipsam communionis & operationis applicationem*, in regimine animæ in corpus libero positam: isto theoremate suo ita demonstrat *Postulati tertii* veritatem, ut inde etiam veritas *secundi* per se abunde eluceat. Cui demonstrationi enim minus obstat argumenti primi usus, quo expressius illud ipsum denuo corroboratum est ostensa sententiae oppositæ absurditate manifestissima. Et cum dogmatis de communione & operatione animæ & corporis physica, istius in hoc regimine continentur, veritas & necessitas, & e contrario opposita hypotheseos noxa & absurditas argumentis decem reliquis ita sit euicta, ut vtrinque, quid rei sit, vel ipsis quasi manibus possit palpari: ecquid opus erat peculiari *Postulati secundi* demonstratione? vt pote quod præter *unionem* dissipatis verbis etiam agit de *communione & operatione physica*, in theoremate isto demonstrata. Et quis nescit, a demonstrata *communione & operatione physica* duarum substantiarum unam personam constituentium firmissimam fieri consequentiam ad *unionem physicam*?

12. Ita se habet ratio *Postulati secundi & tertii*, nec non *Theorematis*, quo *tertium* ita demonstratum est, ut eo ipso etiam *secundi* veritas, et si per se iam luce meridiana clarior, e *Wolfianis tenebris protracta* maiori argumentorum parte in aprico sit posita. Ad hæc vero quid ex-

clu-

cipit cl. *Disputator Wittenbergensis* in disputatione sua posteriore de *harmonia inter animam & corpus præstabilitate?* Is quidem hanc ipsam non improbat solum quam iustissime, sed non indocte etiam dissoluit, impossibilitate eius ostensa: attamen scripti sui exordium facit ab elenco in methodum istam, qua ven. Dn. Præses in Disquisitionis suæ Protheoria dogma vniuersi generis humani de vnione & communione animæ & corporis physica, non metaphysica, antequam illud ex abundantia in Theorema conuersum probaret, inter *Postulata* retulit.

13. Et hunc siuum elenchum vir doctissimus ita adorat, vt rhetoriciis etiam armis in subsidium vocatis, integrum fere chartæ plagulam eodem compleat, nec intermittat quidquam, quod, vniuerso scripto Langiano contemtum apud imperitos & maleuulos conciliare posse, ipsi vñsum est.

14. Et quamvis modestiæ, quam erga Wolfium & Leibnitium ad affectationem vsque adhibet, speciem etiam erga Dn. D. Langium præ se ferre voluerit; hanc tamen ita facit conspicuum, vt non dubitet, inter alia afferere, methodum Langianam vel leuiter solum hypothesum istarum, de quibus sermo sit, cognitione indeo quam maxime risum mouere posse; antea etiam vñsum hac formula: *si diis placet, &c.*

15. Et cum vniuersum, aduersus quod insurgit, scriptum ne iusti quidem libri, sed tantum tractatus mensuram habeat; vt pote triginta tantum quaternionibus constans: istud ipsi, etiam quantitate eius offensio, est spissum *Disputationes volumen*: cum tamen non solum harmoniam præstabilitam, quam cl. *Disputor* sibi solam impugnandam sumfit, sed vniuersum quoque systema, vna cum *Commentatione* intentatas eius vindicias scripta, examini subiicit: vt igitur, qui sapit, in eo breuitatem potius laudare, certe amare, quam copiam reprehendere possit.

16. Omnia vt singulatim referam, superuacaneum esse duco: vnum tantum atque alterum paucis recensuissé sufficiat. Quando Ven. Dn. Præses in dogmate de vnione

ac communione animæ ac corporis physica, & de fundato  
in ea tegimine animæ in corpus, præter experientiam li-  
quidissimam ad consensum omnium gentium & totius hu-  
mani generis vniuersalem & perpetuam prouocat; Cl. Dis-  
putator excipit: *Nihil autem hic consensus omnium valet, si*  
*singulorum experientia nondum est euicta.* Siccine vir do-  
censimus assertum, quod pedibus incedendum sit, non  
vero manibus, præter experientiam propriam ab vsu & con-  
senso omnium gentium & totius humani generis confirma-  
tum, eneruatum esse crederet, si quis regeſſerit, *consensum hic*  
*nihil valere, cum singulorum experientia nondum sit euicta.* Aut  
num argumentum iſtud dissolutum concidet, si quis illi ex-  
empla grallatorum opposuerit?

17. Ad suam vero demonstrandi methodum progres-  
furus hoc prefatur: *Ab hisce ergo disputandi & methodo &*  
*ratiōnib⁹ nostrum iam est, ut abstineamus, atque de aliis ar-  
gumentis, que probandi virtute maiori, Si FIERI PO-  
TEST, polleant, cogitemus.* Quodsi iam haec argumenta  
consideres, nihil deprehendis, quod non in argumentis  
Langianis partim pateat, partim lateat. Et quidquid no-  
tabilem habet coniuncti vim, id præcipue in argumen-  
to iſto Langiano, ab experientia, que consensum vniuersi  
generis humani genuit, defumto, situm est. Videantur  
exempli gratia, breuitatis cauſa, tantum ea, que ipſe pri-  
mus tractationis §. nimirum ordine IV. haberet.

18. Et cum Dn. D. LANGIVS inter argumenta sua re-  
liqua, iſti nouæ philosophiæ portento, quo animæ regimen  
in corpus abiudicatur, opposita, etiam clarissimis scripturæ  
oraculis locum aliquem assignasset (nec enim ipsum cum  
nouis philosophis pudet, aut tæd̄t, iſt̄rum) felicet Pro-  
phetas, Christumque ipsum per Apostolos suos nos, ra-  
tione animalium præcipue consideratos, hortari, *ut corpo-  
ra noſtra eorumque membra Deo & iustitiæ prebeamus ser-  
ua;* hoc vero officium sine regime animæ in cor uis ne  
cogitare quidem posse; cl. Disputator pro sua erga iſtam  
Scripturam

scripturam reuerentia; *Dic̄ta, vero, inquit, scripturæ omnia FORSAN ex mente celeb. Wolfii explicari commode possunt, adeoque nec hæc eundem feriunt.* Quod orthodoxæ hermeneutica specimen quo loco habere velint prudentes, ipsi nouerint. Si ista scripturæ effata cum systemate nouæ philosophiæ ita conciliari possunt, ut commode iuxta illud explicari queant; certe quis dubitabit quadrata sua cum Scripturæ rotundis conciliare?

19. Audiamus vero conciliationem: Paulus scribit: *Corpus meum in seruitutem redigo, ich betâne meinen Leib und zähme ihn, daß ich nicht andern predige, und selbst verwerflich werde.* 1 Cor. IX. 27. cl. Wolfius e contrario scribit in Metaph. §. 884. Der Leib wird von aussen zu seinen Bewegungen determiniret, und er kan den Bewegungen nicht widerstehen, sondern muß sie nothwendig hervorbringen. Und auf diese Art sind auch diejenigen Bewegungen, die man für freywillig hält, in dem Leibe nothwendig. Allein dieses geschiehet der Freyheit der Seelen ohne Nachtheil, (quemadmodum sine destruotione trigoni ex eo duo anguli demi possunt.) Denn es ist gleichviel, ob die Seele durch ihre Kraft den Leib zu seinen Bewegungen determiniret, oder ob der Lauff der Natur so eingerichtet ist, daß die Körperlichen Dinge ihm dem Willen der Seele gemäß zu seinen Bewegungen bringen. Sic perinde erit, vtrum anima Pauli os ad loquendum & calatum ad scribendum mouerit ac direxerit, an vero cursus naturæ mechanicus ita fuerit constitutus, ut inde sine ullo anima regimine & directione villa oris ac manus negotium omne pependerit. Certe anne hæc hermeneutica homines vertere possit potius in meras machinas, ipsis brutis ignobiliores, & religionem omnem cum doctrina morali in fabulam, quam conciliationem admittat, aut subministrat, prudentes iudicent. Sed saluares est. *Dic̄ta bibliæ omnia FORSAN ex mente Wolfii commode explicari possunt;* vti ait cl. Disputator pro sua, quam præse fert, *disceptatio logica.*

20. Et quanvis sic dicta *harmonia commercii inter animalm & corpus præstabilitate centrum sit totius noui systematis*, atque ita ex isto omnis eius peripheria, per totidem quasi lineas, quot istud incrustandi ath eismi & fati satui principia continet, dedueta sit; neque cl. Disputator indocte & infeliciter chaos istud, auctori pro harmonico habitum, discusserit: pro diuersa tamen affectus sui ratione disputationem suam hoc finit epiphonemate: *Non de salute ecclesiae & reipublicæ, sed de hypothesi aliqua philosophica agitur.* Quod si ita est, ecce auctores facinoris istius, quo rex Angliae Iacobus I. & regni proceres in curia congregati supposito & incenso puluere pyro in frustula miserrime erant discutiendi, in neruum abrepti non negarunt, *agi de salute rei publicæ;* & cur non cauissati sunt, *nihil subfuisse, nisi experimentum pulueris pyrii physicum, nemini noxiū?*

21. Quid vero vir cl. *Andalianam disputationem nullo habeat numero, eo minus mirandum est, quo magis eius Auctor doctissimus pro demonstrando regimine animæ in corpus argumenta illa primaria, ab experientia, & a contrariæ sententiaz absurditate, & a periculis in doctrinam morallem & ipsam religionem redundantibus, desumpta, at cl. Disputatori adeo invisa, vrget.* Quod autem Philofophus is acutissimus *nullum nouum argumentum præter Langiana harmonie præstabilitate opponit,* id ipsi eo minus verti potest vitio, quo minus ipsi fuit propositum agere de harmonia præstabilitate; cum, ut ipse dissertationis titulus habet, *tantum demonstrandum sibi sumferit, inter animalm & corpus esse unionem physicam, neuisquam metaphysicam.*

22. Nec video, Ven. Dn. Præsidem sibi de consensu cel. *ANDALIA tantopere gratulatum esse.* Nam in reculæ Andalianæ Dissertationis præfatione (non enim dissimulauit inter nos, se eius esse auctorem) tantum testificatus est, virum istum celeberrimum rem fecisse nomine suo dignissimam & rei litterariæ vtilem, quod suum Wolfio refugium in Andaliano consensu & in Cartesiano systemate tam speciose

ciosē quæsitum ademerit, pluribus testatus, non Cartesianos esse philosophos, sed Spinozantes spiritus  $\pi\lambda\delta\nu\gamma\varsigma$ , numero non adeo multos, & a se iam dudum refutatos, quotquot ausi sint illud non solum omnium philosophorum ac Theologorum, sed etiam totius generis humani dogma de vniione ac communione animæ ac corporis physica negare, & pro ea metaphysicam substituere.

23. Hæc de disputatione Wittenbergensi posteriori. In priore itidem harmoniæ præstabilitæ commentum non illaudabiliter conuellit auctor eius doctissimus: At in Dn. D. LANGIVM tanta fertur affectuum acerbitate, vt si hanc cum ea, quam posteriore prodidit, conserfas, ista ab hac differat, vt gradus superlatiuus a positiuo. Et pro hoc animi sui statu negat solem in meridie, aut, si mauis, tenebras in spissa nocte, hoc est, fatum fatuum, seu Stoicum ac Spinozianum, *in systemate Wolfiano*. Quare cum argumenta logica apud ipsum locum habeant nullum, ipsi interea, donec affectuum obliquitas desierit, oppono auctoritates illorum, quotquot ex eruditis non exiguo iam numero Wolfiano systemati publicis scriptis contradixerunt, & in eo ad unum fere omnes productis argumentis conueniunt, quod systema istud Spinozianum fatum et Leibniziano poculo propinet, & in atheismi patrocinio, nimirum fraudulentio illo, seu Deistico, cui plurimus de Deo sermo, seu fucus est, totum sit.

24. Etcum, re ipsa loquentes, non desit nubes quasi testium de Langianis scriptis Wolfiano systemati oppositis, quod non solum solidâ sint, sed etiam maiore, quam istius auctor pro suorum & errorum & factorum indignitate meruerit, moderatione concinata: Disputator ille Wittenbergensis ne id quidem a se impetrare potuit, vt vel verbulo institutum Langianum probaret. Ipse vero non ignorat, in isto inter alia sic dictam *harmoniam præstabilitam*, quam sibi ipse impugnandam sumvit, eam accepisse anatomem, qua tota eius compages disiecta sit: et si Dn. D. LANGIVS argumenta, que Cl. Disputator pro instituti sui, ad solam harmoniam præstabilitam restricti, ratione vberius deduxit, ex parte tantum indicauerit, & satis quidem emphatice; quemadmodum requirebat ipsius propositum negotiumque elencticum, circa vniuersum

systema ita occupatum, ut in una eius parte destruenda operosior esse, nec debuerit, nec voluerit. Quod si Schelwigiani commatis auctor istud veritati, cique fundamentali, ac tantopere laesae, officium praestitisset, procul dubio Wittenbergæ laudibus in coelum eueheretur: at cum illud ab Hallensi Theologo eidem exhibutum sit, eo magis ibi improbatum fuit, quo minus ille elogia Wittenbergensia captauit & expectauit, istorum nequaquam indigunt.

25. Quæ istius rei causa sit, nemo prudens, *cathedralis odii* & præceptoribus in discipulos transfusi, haud ignarus, ignorat. Et inter prudentes istos sunt haud pauci, qui se re ipsa comperire dicunt, *ipsum atheismum* illo purioris doctrinæ studio, quod secundum genuinæ pietatis indolem vrgetur, & vulgo *pietismi* scismaticæ excipitur, odio isti longe esse tolerabiliorem. Nec defunt, in primis inter Pomeranos, Cl. Disputatoris ciues, qui seiscunt, ipsum ex eo, quod ob studia Wittenbergensia muneric ecclesiastici in Pomerania obtinendi spe exciderit, speciali odio ferri in Theologum Hallensem; at istius rei nec causam, nec occasionem vlam.

26. Sed hæc ego in medio relicta mea non facio. Ipse vero Cl. Disputator procul dubio ex hisce meis obseruationibus intellegit, malum malo sibi non fuisse compensatum, sed bono potius. Etenim cum virtus etiam in inimico laudanda sit, quid vir doctissimus extra Langiani nominis odia in conuellendo Wolfiano systematice præstiterit, non dissimulaui. Quomodo vero erga Langiana scripta se gesserit, sine vlo in ipsum duriore verbo recensuit tantum, epicrisi prudenti lectori relictæ,



# DISSERTATIONIS PRAESES RESPONDENTI

S. D. P.

**P**Ost priuata diligentia laudabilis specimen etiam publicum editurus, dilectissime CASSCORBI, in eo es, vt publice defendas, quidquid hæc dissertatio de illo ecclesiæ primitiæ malo, quod in hæresibus habuit, proponit. Mali autem istius recensioni cum boni descriptio præmissa sit, hoc ordine admonitus noueris, quid tui sit officii: scilicet ante omnia operam dare, vt bono isti magis magisque innutriaris, & ex eodem reste inualefas. Hac enim ratione a mali contagio adeo manebis seiuetus, vt isti apud alios medelam ferre possis salubrem. Et huius studii, mea adiutus opera, iam aliquod præbes specimen in obseruationibus apologetico - elencticis, Disputatori cuidam Wittenbergensi, cui tuo Pomerano, oppositis. In quibus quemadmodum moderationem, tibi a me commendatam, laudo: ita in iisdem deprehensuros esse lectores prudentes, quod ipsorum exspectationi

tioni respondeat, confido. Sint caussæ Dei, sincero animo, nec sine bonorum suffragio, assertæ, inuidi & inimici! Quid tum? Etiam hoc non mali signi res est. Deo autem sit laus & gloria, quod a magno nos liberauit malo; a malo, quo grauius vix aliud esse potuit illum. Cecidit, cecidit, magna sibi illa & superba Babylon! Babylon illa neometaphysica, quæ suo mechanismi & sati Spinoziani, ipsum quoque atheismum incautis insinuantis, toxico academicam iuuentutem infatuare cœperat: cecidit, postquam, structura eius vniuerſa per machinas logicas iam destructa, munimenta ipsius exteriora regiæ seueritatis ariete pulsata cum fragore corruerunt. Vnde quemadmodum iam sera est fultura: sic patrocinium quoduis est irritum, et si imperitis fit speciosum. Halæ Saxonum ipsis Calendis Sept.

anni M DCC X XIV.



Fg 6189

ULB Halle  
002 675 65X

3




Act.

AN

Biblio

the

Lis



13.

DISSE<sup>TATIONVM</sup>  
DE  
**HAERESIOLOGIA**  
SECVL<sup>I</sup> POST CHRISTVM NATVM PRIMI  
ET SECUNDI,  
EX IPSIS ANTIQVITATIS FONTIBVS DELINEATA,  
**O G D O A S:**  
ET IN EA  
**PRIMA**  
DE  
**HAERESIVM**  
PRAEDICT<sup>I</sup>ONE BIBLICA ET IN  
FELICI EARVM PROVENTV IN PLERISQUE  
ECCLESIAS, IN PRIMIS  
ASIAE:  
QVAM  
IN REGIA FRIDERICIANA  
DIE  
SEPT. HVIVS ANNI MDCCXXIV.  
PRAESIDE  
**D. IOACHIMO LANGIO,**  
S. THEOL. PROF. ORDIN.  
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBIICIT,  
EIQVE  
OBSERVATIONES ALIQUOT ELENCTICAS,  
Disputatori cuidam Wittenbergensi oppositas,  
fibiungit,  
RESPONDENS,  
**FRIDERICVS THEOPHILVS CASSCORB,**  
TREPT<sup>A</sup> POMERANVS,  
S. THEOL. CVLTOR.  
HALAE MAGDEB. BYPSIS CHRISTIANI HENCKELII, ACAD. TYP.